

75/16

I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO JURIDICA
Quæstiones quasdam

DE

TRADITIONE
SYMBOLICA

delibans,

Quam

DEO bene juvante

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Amplissimi, Excellentissimi, atque
Consultissimi*

DN. JOHANNIS GEORGII
SCHERTZII,

J. U. D. ejusdemque P. P. Ord.
& Canon. Thom.

in Regiâ Argentinensium Universitate

SOLENNITER

Pro viribus tueri conabitur

JOHANNES PETRUS de FERRIER,
Belfortensis.

Auctor & Respondens.

Die 19. Junii M DCC XIII. horis locoque solitis.

ARGENTORATI, Literis DANIELIS MAAGII.

DEO
PATRIÆ,
PATRONIS,
&
AMICIS.



Q. D. B. V.



Inter modos acquirendi, quos
Iusti naturales, seu juris gentium ap-
pellant, ordine quidem plerumque,
non tamen valore ultimus recenseri
solet *Traditio*; quæ definitur, quod
fit modus acquirendi Dominium per translationem
rei vacuæ a persona idonea in idoneam ex causa ad
transferendum Dominium habili contingens. Di-
vidi autem solet in *veram* & *fictam*, illa est actus,
quo res naturaliter, & corporaliter, atque ipso actu
in alterum transfertur: hæc, quæ revera quidem,
& naturaliter non intervenit, fingitur tamen in-
tervenisse. Ficta iterum duplicis est generis, vel
ficta simpliciter, vel *Symbolica*. De hac posteriori
cum exercitii Academici gratia quædam in medium
proferre visum sit, ex ponendum erit ab initio, quid
sit *Traditio Symbolica*. Est itaque

Quæstio I.

Quid sit Traditio Symbolica?

Ad hanc cum Magn. Dn. Schragio in *Introd.*
ad Inst. lib. 2. tit. 1. §. 87. respondeo, quod fit
illa

illa traditionis species, quæ adhibito aliquo Symbolo, voluntatis, & veræ traditionis indice, e. g. clavis, instrumentis, contingit; de qua re agitur in §. 45. *Inst. de rer. divis. l. 9. §. 6. π. de acq. rer. dom. l. 14. π. de per. & comm. rei. vend. l. 51. π. de acq. vel amitt. poss. l. 1. C. de donat.* unde etiam Symbola Ecclesiæ dicuntur illæ formulæ, quarum vel approbatione, vel rejectione Ecclesiæ membra ab heterodoxis distinguuntur. ita autem a DD. appellatur, quia cum ipsa celebratur, Symbolum aliquod, seu signum, quod rem transferendam repræsentat, intervenire solet. Scilicet, quamvis jure naturæ ad juris seu Domini translationem traditio non requiratur, ut recte inculcat *GROTIUS de jure belli & pacis II, 8. & II, 6. I.* plurimis tamen Gentibus consuetum visum est, ut, tanquam medium, quo transferendi juris voluntas eo clarius exprimeretur, & is, in cujus gratiam illa translatio fiebat, eo certius jus haberet, accederet Traditio; unde etiam fit, ceu modo allegatus *GROTIUS* observat, ut Traditio juris Gentium esse dicatur, quia scilicet a multis Gentibus recepta est, *vid. de J. B. & P. II, 6. I. 2.* Romani imprimis hac in re rigidi fuere, quippe qui ad Domini translationem solam conventionem partium non sufficere voluerunt, sed præterea traditionem regulariter adhibendam esse statuebant. Hinc *Imp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS in l. 20. C. de Pactis: Traditionibus, & usucapionibus non nudis pactis Dominia transferuntur.* Cum qua sententia congruit *Jus Longobardicum lib. II. tit. 1. c. 5.* ut pote quod sine Traditione nullam rerum subsistentiam firmitatem sancit, uti notat

SCHIL-

SCHILTERUS Exerc. ad π. 45. 38. Cum autem naturalis & realis traditio non semper commode fieri posset, hinc & ab aliis Gentibus, & a Romanis receptum fuit, ut loco rei tradendæ signum rem illam repræsentans traderetur; quod si fiebat, res ipsa tradita censebatur. Varia autem pro Populorum, imo & ipsarum rerum tradendarum diversitate adhibebantur signa, prout illa lex, aut consuetudo, aut etiam partium conventio vel sola tradentis voluntas probavit. Sic jure Romano venditor merces emtas, & in horreo repositas tradidisse censebatur, quam primum claves horrei emtori tradidisset. §. 45. *J. de rer. divis. l. 9. §. 6. π. de acq. rer. dom. l. 74. π. de cont. emt. vend. adde l. 1. §. 12. π. de acq. vel amitt. poss. conf.* quæ infra de traditione instrumentorum habentur. Nullus autem dubito, quin alia quoque symbola, quorum nulla expressa in legibus Justinianeis occurrit mentio, fuerint adhibita. *MARCULPHI* monachi, qui non ad eò diu post Justinianum vixit, sane ætate alia etiam signa adhibita fuisse constat ex *Formulis* ejus; sic Traditionis per *festucam* mentio fit in *formular. lib. 2. c. 13.* ubi dicitur, *ideoque veniens ille fidelis noster ibi in palatio nostro in nostrâ, vel procerum nostrorum præsentia villas nuncupantes illas, sitas in pago illo sua spontanea voluntate nobis per festucam visus est leu seu verpisse, vel condonasse in ea ratione, si ita convenerit &c.* ad quem locum Eruditissimus *BIGNONIUS* alia etiam ex antiquis monumentis Traditionum signa nominat, nempe *per glebam, per librum, per anulum comitis, per cultellum cum cespite, & festucâ;* quibus adde *ottonino* quæ habet *DU FRESNE in Glossario latino barb. v.*

Investitura, ubi probat Investituras seu Traditiones factas fuisse præterea, per *guazonem*, & *ramos de arboribus*, per *baculum*, & *annulum*, per *fustem*, cum *ligno*, per *culiellum*, *festucam nodatam*, per *culiellum plicatam*, *amphoram plenam aqua maris*, per *Bibliothecam*, seu *Biblia*, per *berillum*, per *cambucam Episcopi*, per *candelabrum*, per *apprehensionem canum venaticorum*, per *capillos capitis*, per *claves ecclesiæ*, per *columnam*, per *coronam*, per *cornu*, per *corrigiam*, cum *crocia Abbatis*, per *capellum Prioris*, per *cupam auream*, per *communionem*, per *denarios*, per *digitum*, per *dextrum pollicem*, per *elemosynariam*, hoc est, *marfupium*, per *fosilem chartæ inherentem*, per *folium nucis*, per *ferulam pastorem*, per *funes campanarum*, per *gladium*, per *grana incensi*, per *hastam*, per *haspam*, per *juncum*, per *lapidem*, aut *lapillum*, per *linteum*, per *lini portunculam*, per *martyrologium*, per *mappulam*, per *nodum*, per *notulas*, per *ostium domus*, per *pallium*, per *pergamenum*, per *pisces*, cum *duobus phylacteriis*, per *pollicem*, per *palam*, seu *pallam ex serico*, per *pileum*, per *panem & librum*, per *sceptrum*, per *scyphum*, per *spata capulum*, per *textum Evangelii cum veru*, per *vexillum*, per *zonam*. addi potest *Traditio per urceos æneos*, quorum mentio fit in vita *S. ALISTREBERTÆ* apud *MABILLON*. in actis *Sanctor. Ord. S. Benedicti, Secul III p. 44.* ubi dicitur; quidam vir illustris *GOZELINUS* nomine transmarinis degens in partibus *B. ALISTREBERTÆ* sui raris decimam dedit, atque in signum donationis duos ex ære urceos, quos vulgò *bachinos* vocamus, ejus ecclesiæ ministris transmisit. Apud Eundem in *Secul. IV. p. 763.* in monumentis historicis annexis nominatur *Investitura per cavil-*

villam, castrinam, & cultellum super altare positum: adde ibidem p. 764. ubi mentio *investituræ per vulpinas pelles factæ* injicitur. Hic *Argentinae* traditiones symbolicae regulariter fiunt per *oblationem calami*; hinc in antiquis contractuum formulis, jam ante quatuor sæcula scriptis, legitur: *dicta bona, quæ eisdem redditus inferebant, ut dicebant, pro se, successoribus suis universis titulo permutationis resignaverunt, tradiderunt, & donaverunt, per porrectionem calami, quæ secundum consuetudinem terre pro Traditione habetur.* Hodie in instrumentis hujus Urbis Germanicis scribi solet, *durch überreichung der Feder, als sit ist.* quæ verba in latinam versa linguam idem significant ac *per porrectionem calami, uti moris est.* Olim tamen etiam hic loci *culmum* pro symbolo traditionis fuisse adhibitum didici ex Domino Præside meo; qui certiore me reddidit se vidisse instrumentum quoddam *Argentinenſe*, in quo hæc leguntur: *Do gobent vvir die vrogenant Huser, Schüre, und Acker mit allen Begriffen, und Rechten, so darzu gehörent zu kœffende den Herren N. N. zu Strazburg umb zwanizig pfund Strazburg, und driszig schillinge pfennige, und satten es in och mit cime balme, also Gerichts Recht und gevvonheit ist.* hoc est, *vendidimus ante dictas domos, horrea, & agros cum omnibus pertinentiis, & juribus Dominis N. N. Argentine habitantibus pro pretio viginti librarum Argentinenſium, & triginta assium, & ea etiam tradidimus per porrectionem culmi, seu judiciorum moris est, & consuetudinis.* Caterum dubium non est, quin omnia, quæ naturaliter tradi possunt symbolo transferri queant; itaque per hanc tra-

traditionem etiam dominium in accipientem transfertur. l. 74. π. de contrah. emt. vend. nec obstat l. 77. §. 21. π. de legat. 2. quippe quæ non loquitur de traditione clavium ex causa ad transferendum dominium habili, sed de ea, quæ custodiæ causa est facta. Sequitur nunc

Quæstio II.

Si uni res aliqua traditur symbolice, postea autem alteri naturaliter, utrius jus potius sit?

Videri posset Posterioris, qui naturaliter, & corporaliter rem accepit, jus potius esse, idque ob legem 9. §. 4. π. de Publ. in rem act. in qua statuitur, quod si res aliqua vendatur, & uni vere, & corporaliter tradatur, hujus jus potius sit: ita enim verba sonant: *si duobus separatim vendiderit bona fide ementibus, videamus, quis magis Publiciana in rem actione uti possit, utrum is, cui priori res tradita est, an is, qui tantum emit; & Julianus lib. 7. digestorum scripsit, ut siquidem ab eodem non domino emerint, potior sit, cui priori res tradita est.* Adde l. 31. in fin. π. de action. emt. vend. ubi NERATIUS dicit: *uterq; nostram eandem rem*
emitt

emitt a non domino, cum emtio, venditioque sine dolo malo fieret, traditaque est. sive ab eodem, sive ab alio, atque alio, is ex nobis tuendus, qui prior jus ejus apprehendit. conf. l. 15. C. de rei. vind. præterea secundum vulgatum juris brocardicon, Fictio semper cedit veritati. Decianus conf. II. num. 139. lib. I. Cardinalis Tuschus tom. 5. littera F. conclus. 221. n. 14. & ubi concurrunt veritas & fictio, semper veritas præfertur, & attenditur. Aretin. consil. 135. n. II. nunc autem in casu quæstionis meæ fictio & veritas concurrunt; alter enim accepit rem venditam traditione vera, alter autem ficta; quod enim Symbolica traditio fictæ traditionis species sit a nemine, qui rem bene perpendit, negari potest, nec ipse in præmio negavi; fingit enim lex, dum signum traditur, rem signo notatam tradi. Licet autem hæc ita sint, nullus tamen dubito asserere, quod prioris jus potius sit, ut enim supra sub finem quæstionis primæ dixi, certum est etiam per traditionem symbolicam in accipientem dominium transferri. si itaque dominium transfertur, habet jus quæsitum, & in re radicatum, quod ipsi invito auferri nequit l. fin. π. de pact. l. 53. pr. π. de judic. §. ult. Instit. de his qui sui, vel alien. juris. Et sane exiguus esset traditionis symbolicæ usus, si ejus effectus per subsequentem traditionem veram irritus reddi posset. Nec rationes allatæ me a sententia hac divellere possunt: nam quod primam ex l. 9. §. 4. π. de Public. in rem act. & lege. 31. π. de act. emt. vend. petitam attinet, respondeo illas leges non loqui de duobus emtoribus, quorum utrique res tradita est, uni symbolice, alteri naturaliter, & cor-

poraliter ; sed de duobus, quorum uni res & vendita, & tradita, alteri autem vendita quidem est, sed non tradita. ibi: *uirum is, qui NB. tantum emit, & is qui prior jus ejus apprehendit.* Imo quoniam hæc leges indistincte loquuntur, de traditione & apprehensione juris tam symbolica, quam naturali & corporali erunt intelligendæ. Altera ratio ex brocardico illo, quod *fiçtio semper cedat veritati*, desumpta, æque parum rem conficit; nam primo illud accipiendum est de fictione hominis, non de fictione legis; nam quod fictionem legis attinet, ibi valet regula: *Fictio idem operatur, quod veritas, l. i. π. de adopt. l. cum ex oratione 44. π. de excus. tutor. c. cum dilectus. 14. & seq. X. de Cleric. non residentib.* adde *BARBOS. LL. COMM. V. FICTIO*, ubi etiam observat Fictionem interdum præferri veritati. Deinde illud explicandum est de effectibus naturalibus, non de civilibus; cedit nempe fictio veritati quoad effectus naturales, non autem quoad morales & civiles. ex. gr. si Jus Canonicum filium adulterinum, qui fuit legitimatus, declarat pro legitimo, hoc ipso quoad effectus Civiles illum fingit, seu facit non adulterinum; fictione tamen suâ facere non potest, quo minus ille naturaliter & vere sit adulterinus. Cedit ergo ejus Fictio Veritati. Sistit se nunc

Quæstio III.

An ad Traditionem Symbolicam

licam requiratur, ut fiat in præsentia rei, cujus Dominium in se transferri vult Acceptans?

PRægnantia in utramque partem Jus Civile Romanum suppeditat argumenta. Pro negativâ sunt §. 44. *J. de Rer. Divis.* ubi dicitur: *Si quis merces in horreo depositas vendiderit, simulatque claves horrei tradiderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem;* qui §. continet sententiam *CAIL*, quæ iisdem verbis exponitur in *l. 9. §. 6. π. de A. R. D.* ubi nihil occurrit, quod præsentiam rei necessariam esse suadeat, sed indistincte & simpliciter dicitur: *simulatque claves horrei tradiderit.* cum quo concordat *PALLIUS* in *l. i. §. 21. in fin. π. de A. vel A. Poss.* dicens: *& vina tradita videri, cum claves celle vinaria emptori tradita fuerint.* Facit etiam huc *l. i. C. de Donation.* in quâ *Impp. SEVERUS & ANTONINUS* Licio ipsos consulenti ita rescribunt: *Emptionum Mancipiorum instrumentis donatis & traditis & ipsorum Mancipiorum donationem & traditionem factam intelligis, & ideo potes adversus donatorem in rem actionem exercere.* Quo etiam facit, quod Jus Naturæ ad Traditionem rei præsentiam non requirat; imò quid opus est symbolis, si res tradenda est in præsentia; vel enim tum naturaliter potest tradi, vel si id non lu-

bet, aut non fieri possit, poterit traditio longâ manu celebrari; visu enim solo & aspectu potest acquiri possessio, uti liquet ex l. 18. §. 2. π. de A. vel A. Poss. ubi dicitur: *si vicinum mihi fundum mercator venditor in mea turre demonstrat vacuumque se possessionem tradere dicat, non minus possidere cæpi, quam si pedem finibus intulisset.* adde l. 6. π. de Reb. Credit. & l. 79. π. de solution. in quâ **JAVOLENUS**: *Pecuniam quam mihi debes, aut etiam rem, si in conspectu meo ponere te jubeam, efficitur ut & tu statim libereris, & mea esse incipiat: nam tum, quod à nullo corporaliter ejus rei possessio detineretur, acquisita mihi & quodammodo manu longa tradita existimanda est.* Unde etiam factum, ut celebres quidam Jcti præsentiam rei abesse posse à Traditione symbolicâ asseruerint. vide **BRUNNEMANN**. ad π. ad l. 74. π. de Contr. Emi. Ad Affirmativam hæc ducunt. In l. 1. §. pen. de A. vel A. Poss. **PALLIUS** ita effatur: *Si jusserim venditorem Procuratori rem tradere, cum ea in presentia sit, videri mihi traditam Priscus ait. Idemque esse si nummos debitorem jusserim alii dare: Non est enim corpore & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis & affectu. Et argumento esse eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas; nam pro traditis haberi, si in re presenti consenserint.* quo etiam facit, quod **THEOPHILUS**, Paraphrastes Institutionum Græcus, &, uti mihi videtur, non multo junior Justiniano in expositione §. 44. I. de R. Divis. suppleat hæc verba: *ναρξωδρ τῶ δέλω. assistens seu adstans horreo.* Maximum autem hanc in partem pondus habet l. 74. π. de Contrab. Emi. ubi dicitur: *Clavibus traditis, ita*

mer-

mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claves apud horrea tradite sint. Quo facto confestim Emor dominium & possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea; quod si venditoris merces non fuerint, usucapio confestim inchoabitur. conf. **CUJAC**. 2. F. 2. **BRUNNEMANN**. loc. supra allegat. **SCHILTER** ad π. Ex. 4), 38. In hac Legum variatione quid respondendum? An dicendum cum **MÜLLERO** ad **STRUVII Syntagma Juris Civilis** duplicem esse Traditionem symbolicam, aliam longæ, aliam brevis manus; ad illam non requiri rei præsentiam, ad hanc autem eam esse necessariam? An cum **LOCAMERO** in *quest. Justin. quest. 157.* respondendum, præsentiam rei requiri, ubi agitur de Possessione ipsa transferendâ; non opus autem eâ esse, ubi tantum potestas alteri fit apprehendendæ possessionis? Rectius forte dicemus præsentiam cellæ aut horrei, in quo vina vel merces reconduntur, requiri, si intenditur traditio rerum quasi per Universitatem aut aversionem alienatarum. cui conjecturæ id favet, quod in omnibus textibus, qui ad Traditionem symbolicam exigunt rei præsentiam, mercium aut vinorum in horreo aut cella reconditorum mentio injiciatur; non autem requiri illam, ubi res separatim & singulatim alienatæ tradendæ sunt. Quicquid sit, Moribus hodiernis & Gallorum & Germanorum non requiritur, ut in re præfenti fiat Traditio Symbolica; cujus rei illustre exemplum habemus in Investitura, quam abusivam, item ceremonialem, significativam &c. Feudistæ vocant, utpote per quam non tantum, si in præfentia rei in feudum habendæ celebratur, jus in re trans-

fer-

fertur, uti autumat Celeb. hujus Universitatis quondam Antecessor DN. CASPARVS BITSCHIVS ad text. 2. F. 2. pr. p. 223. sed etiam tum, cum in absentia ejus rei fit. conf. TITII Teutsch Lehen-Recht c. 10. & WINZIGER ad STRICKII Ex. Iur. Feud. c. 12. qu. 6. adde SCHILTER. Comm. in Ius Feud. Alem. c. 4. §. 2. & in Exerc. ad n. 45, 39. ubi legi merentur, quæ ex Legibus WisiGothorum, ut & Ludovici Pii Capitulis ad Legem Salicam hanc in rem in medium afferuntur.

Quæstio IV.

An Scotatio, cujus in c. 2. X. de Consuetud. mentio fit, referri possit inter species Traditionis Symbolicæ?

ANtequam Quæstionis ipsius decisionem aggrediamur, de Scotationis naturâ quædam sunt præmonenda. In *Jure Canonico* occurrit Capitulum ab Innocentio III. ad Archiepiscopum & Capitulum Lundense, (sic enim legendum, non Lugdunense; uti patet ex Epistolis Innocentii III. à Cl. Baluzio editis, & ex eo, quia ipsum Capitulum manifestum reddit hujus Archiepiscopi Diocesis fuisse sitam in Regno Daciæ, quo nomine Daniam venire sæpius alii jam observarunt. vid. HERT. Dissert. de Collis. Legum. Sect. IV. §. 9.) ubi

ubi post alia hæc leguntur: *Si vero possessiones aliquas claustris, vel aliis religiosis locis in bona valetudine vel ultima voluntate pro suorum vult remedio peccatorum conferre hanc* (in Baluzii edit. interferitur: *Ecclesie*) *conferendi formam esse proponis, quod in hujusmodi donationibus modicum terræ consuevit in manu accipere* (Baluz. assumere) *vel in extremitate pallii, quod manu* (apud Baluzium interferitur: *Episcopi vel cujuslibet alterius*) *Prelati Ecclesie sustinetur aut super ipsum altare ponendum* (apud Baluzium legitur: *aut super ipsum altare aliquo involutum panniculo cum debita humilitate ponendum*) *sub testimonio videntium & audientium sub dicta forma* (apud Baluz. *formâ donationis hujusmodi subsequente*) *quæ Scotatio vulgariter appellatur, & paulo post: Ecclesia quibus multe possessiones sub Scotatione hujusmodi sunt collata: & aliquibus interjectis: cum hujusmodi signum, quod Scotatio dicitur &c.* Quid autem nominis sit *Scotatio* mire dissentiunt, quidam à *Scotis* derivant, utpote qui in Ecclesias admodum fuerint liberales; Alius dicit *Scotationem* idem esse ac *Scultationem*, quæ vox ponatur pro *Cultatione*; *Cultationem* autem dici eo, quod sæpius donationes factæ fuerint per glebæ injectionem, quæ *cultello* eruebatur. Sunt qui eam deducunt à *Scoticatio*; nam *Scoticam* idem esse ac fossorium in Veteri Glossario Arabico Latino, eò quod circa Codicem terram aperiat. Alii asserunt *Scotationem* dici pro *Scutellatione*, quod in *Scutellis* summa donationis scriptæ reposita conferretur. nec desunt, qui id deducunt à voce *Scot*, quæ *ensum, tributum, pretium* significat. vid. CIRONIUS in *Observat. Juris Canon. lib. 1. cap. 9.*

Mihi placet Conjectura Dn. Præsidis, qui arbitratur hanc vocem esse Originis Germanicæ (Danorum enim, qui, uti ex supra allegatis liquet, hac voce usi sunt, lingua non nisi est dialectus Germanicæ) & derivandam esse à vocabulo *Schooß*, quod Septentrionales pronunciarunt *Skot*, *Skaut*, denotat autem illud *sinum*, *gremium*; item *laciniam*, *fimbriam*. inde autem dictam *Scotationem*, vel quia modicum terræ, cujus capitulum nostrum mentionem facit, in *gremium* ejus, in quem fundus transferri intendebatur, conjici solebat, vel quia illa terra excipiebatur ab altero *extremitate*, *laciuiâ*, *fimbriâ*, *sinu pallii*. Huc facit locus *ANDRÆ SUENONIS* Archiepiscopi Lundensis *lib. 4. Legum Scania cap. 13. Quid sit Scotatio: In venditione terrarum ad transiitionem Domini est necesse, ut interveniat quadam sollemnitas, in qua terra modicum emtoris pallio extento manibus assistentium, qui si factum revocetur in dubium, perhibere possunt testimonium veritatis, apponit venditor, qui designatam terram, quam distrahit in emtorem, in ipsius se transferre dominium proficitur; hac autem sollemnitas ex vulgari nostro producto vocabulo competenter satis potest Scotatio nominari. Conf. DU FRESNE in Gloss. Latino-Barb. h. v. qui ex PONTANI lib. 7. rerum Danic. allegat Chartam CHRISTIANI Ripensis Episcopi, ubi dicitur: Hinc est, quod constare volumus universis, nos omnia & singula mobilia & immobilia inferius annotata secundum formam & Regulam eis competentem Ripis in perpetuum faciendam, ac de consilio Archi Diaconi pro tempore & Capituli ordinandam existentium contulisse, Scotasse & sub reali possessione tradidisse jure perpetuo*

petuo possidenda. conf. VERELIUM in Indice Ling. Goth. & LOCEN. in Lexic. Juris Sueo-Goth. qui idem in *Antiquitat. Sueo-Gothicis cap. 17.* observat sollemnitatem hanc esse quidem apud Suecos abolitam, ex veteri tamen more superesse formulam instrumento venditionis agrorum aut fundorum inferi solitam: *med skaffi och sköt sälia, cum festuca & gremio vendere.* Liquet hinc *Scotationem* proprie esse actum, quo ex causâ ad transferendum Dominium habili apud Danos aliosque Septentrionales dominium fundi oblatione & acceptione glebæ aut pulveris ex fundo desumpti transferebatur. Licet autem hæc multum affinitatis habeat cum Traditione Symbolica, non desunt tamen rationes dubitandi, an *Scotatio*, de quâ Jus Canonicum loquitur, inter species Traditionis Symbolicæ sit referenda. Illarum una est, quod in hac non tam tradatur signum seu symbolum rem tradendam repræsentans, quam pars rei e. g. gleba aut pulvis ex agro tradendo desumptus. Alterum dubium inde potest oriri, quod in Capitulo nostro dicatur *Scotationem* fieri, cum modicum terræ super altare ponitur. At vero ad Traditionem Symbolicam non sufficit oblatio Symboli, sed ejus etiam apprehensio corporalis requiritur. *arg. l. quemadmodum 8. π. de A. vel A. poss. & l. 153. π. de R. J.* ubi dicitur: *nullam possessionem acquiri posse, nisi animo & corpore.* Cui tertio id accedit, quod secundum plerorumque Doctorum sententiam Traditiones Symbolicæ in præsentia rei fieri debeant. Nunc autem fundus præsens non est, ubi modicum terræ ex eo depromptæ involutum panniculo super altari ponitur, aut extremitati pallii, quod sustinetur ab Episcopo aut

Prælato alio Ecclesiæ. Non tamen tanti sunt hæ rationes, ut nobis persuadeant Scotationem non posse dici speciem Traditionis Symbolicæ. Ad primum autem respondemus male sibi invicem opponi partem rei & signum rei; cum secundum rationem & analogiam Juris Civilis idem possit esse & pars rei & signum rei, Totius scilicet. Nam pars respectu totius, quod repræsentare censetur, Symbolum seu signum est, si ad Totum illud repræsentandum adhibetur. Ad alteram autem dubitandam rationem regerimus, primo non omnem Scotationem fieri per positionem modici terræ super altare: quædam enim fiebat, dum modicum terræ extremitati pallii, quod Episcopus vel alius ejus Ecclesiæ, cui aliquid confertur, Prælatum sustinet, imponitur. dum autem Prælatum hic ita sustinet & suscipit extremitate pallii Symbolum, illud ipsum nomine Ecclesiæ corporaliter apprehendit. Deinde quod attinet positionem modici Terræ super altare, de illa dicere possumus eam conjunctam esse cum Acceptatione tacita, quam Lex in favorem Ecclesiæ intervenisse fingit; qualis fictio occurrit in l. 15. c. de SS. Eccles. ubi ZENO ita effatur: *Si quis donaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel se moventem aut jus aliquod Personæ Martyris aut Prophete, aut Angeli, tanquam ipsi oratorium postea edificaturus & donationem insinuaverit, apud quos necesse est, cogitur opus, quamvis nondum inchoatum fuerit, perficere per se vel per heredes & perfectæ operi dare ea, quæ donatione continentur. Idem & in Xenodochiis & Nosocomiis & Piochiis obtinet, licentia danda Episcopis & Oeconomis convenire ipsos.* Unde etiam Dd. in-

inferunt Donationem Ecclesiæ factam subsistere absque acceptatione. vid. *CARPZ. Respons. lib. V. Resp. LXII. n. XIV. STRYCK. de Cautelis Contr. Sect. III. c. IX. §. II.* Analogiæ sane juris, quod Pollicitationes DEO vel Reipublicæ factas plenum valorem habere vult, licet Acceptatio, expressa scilicet & naturalis, non fuerit subsecuta, conveniens est, ut Donationes tales, utpote quibus plus agitur, quam per Pollicitationes, acceptatione expressa quamvis destitutæ pleno effectu gaudeant. Tertia dubitandi ratio ex iis, quæ in priori Quæstione in medium attuli, infirma reddi potest. Unde plura non addo. id tantum observo, quod apud Romanos antiquiorum temporum ad repræsentandum agrum, quem quis vindicabat, gleba agri fuerit quoque adhibita, & ad Prætores in jus delata. vid. *GELLIUS Noct. Att. lib. XX. c. IX. adde SCHILTER. Ex. XVI. §. XI.*

Quæstio V.

An per Traditionem Instrumentorum Possessio Symbolice transferatur?

Existimare quis posset non aliter eam transferri, quam si e. g. venditor Instrumento tradito possessionem rei emtæ vel per se vel per alium apprehendat. Pro quâ sententia est l. 8. π. de A. vel A Poss. ubi dicitur: *Prædia cum servis donavit, eorumque se tradidisse possessionem literis declaravit, si vel unus ex servis, qui simul cum prædiis donatus est, ad eum, qui donum accepit, pervenit, mox in prædia remissus est, per servum*

rum prædiorum possessionem quasitam cæterorumque ser-
 vorum constabit. Verum ad hanc Legem respon-
 deo, illam non loqui de casu, ubi donator Instru-
 menta tradidit eo animo, ut per hanc, tanquam per
 Symbola, possessionem transferret; verum de eo casu,
 si Donator in privato Instrumento aut Epistola factus
 est, se rem donatam tradidisse. Deciditur autem sub
 distinctione: Aut enim traditio revera intervenit, aut
 non intervenit; si intervenit, possessio est translata;
 si non intervenit, non item. conf. *BRUNNEMANN.*
in Comm. ad π. ad h. l. CUIAC. in lib. 10. Resp. Papi-
nian. Tom. IV. p. 1135. Transferri autem Possessionem
 per Traditionem Instrumentorum, non quamcunque,
 sed ex Titulo ad transferendum Dominium habili fa-
 ctam, manifestum reddit lex I. C. *de Don.* ubi clare dicitur,
Emptionum Mancipiorum instrumentis donatis & tra-
ditis & ipsorum mancipiorum donationem & traditionem
factam intelligi; quâ Lege moti multi Dd. illorum, qui
 alias ad Symbolicam Traditionem præsentiam rei re-
 quirunt, possessionem etiam transferri instrumentis
 oblati fatentur, licet in absentia rei oblatio hæc fiat.
 vid. *MENOCH. Consil. CIII. n. 35. MOLINA Tr. II D.*
XIII. n. 9. Licet autem hæc Lex tantum loquatur de In-
 strumentis antiquis, non de Instrumento Donationis,
 arbitror tamen & per ipsam instrumenti recens con-
 fecti oblationem, si nempe animo tradendi rem Sym-
 bolice fiat, jus reale transferri, etiam si clausula, quam
 quidam Dd. requirunt, (vid. *STRYCK. de Cant. Contr.*
Sect. 2. c. 8. § 22.) non inserta sit ipsi Instrumento; mo-
 do aliunde probari possit, hoc animo eam esse
 factam. Sed hæc sufficiant.

DEO SOLI GLORIA.